



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.14. In facinus Paschalis & Campuli inquiritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.
A. C. 799.
se oret, & scandalum, cujus causa ipse fuisset, tollat. Sub finem addit longum Textum ex Nestorio, & ad eum confutandum Patres citat.

Ap. Alcu.
p. 995.

Sub idem tempus scriptam fuisse arbitrantur Epistolam Elipandi ad Felicem datam, dum eum adhucdum in errore pristino perseverare credit. Conviciis plena est in Beatum & Alcuinum & in his solum notari meretur, quod stilus sit barbarus, & lingua latina corruptissima, unde videlicet linguæ vulgaris Hispanica principiaprehenduntur. Et ob ætatem Elipandi, dicentis, se vigesima quinta Julii annum octogesimum secundum agere incepisse. Itaque eum natum fuisse oportet illo ferme tempore, quo Arabes Hispaniam invaserunt.

§. XIV.

In facinus Paschalis & Campuli inquiritur.

Anast.

Interim Leo Papa Romam revertetur comitantibus Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus; atque in omnibus Civitatibus, ad quas divertebat, iisdem honoris signis, ac si S. Petrus advenisset, excipiebatur. Romam pervenit in Vigilia S. Andreae vigesima nona Nov. eodem anno 799. tuncque omnium hominum Ordines, Clerici, Senatus, Milites, Populus, Mulieres, Diaconissæ quoque &

& Moniales obviam processerunt. Di-
 versa etiam agmina exterorum, Franco-
 rum, Frisonum, Saxonum, & Longobar-
 dorum aderant. Cuncti igitur portan-
 tes Vexilla, & Hymnos Ecclesiasticos ca-
 nentes usque ad pontem Milvium occur-
 rerunt, & ad S. Petrum deduxerunt, u-
 bi ipso Missam celebrante communi-
 carunt omnes. Altera die Papa Ro-
 mam ingressus, & in Laterano conversa-
 tus est.

Elapsis diebus paucis Episcopi & O-
 ptimates, qui Papam in itinere secuti fue-
 rant, in Atrio Palatii ab ipso Leone ad-
 dicati congregantur, Libellos contra eum
 a Paschali, Campulo & consociis traditos
 examinaturi. Hi Mandatarii a Rege Ca-
 rolo missi erant decem numero, videli-
 cet, Episcopi septem, & tres Comites.
 Episcopi erant Hildebaldus Archiepisco-
 pus Coloniensis, Arno Salisburgensis,
 Bernardus Episcopus Wormatiensis, Hat-
 to Passaviensis, Jesseus Ambianensis, Cu-
 nibertus & Flaccus, quorum Sedes igno-
 rantur. Hac causa per unam septi-
 manam & amplius discussa cum ea,
 quæ contra Leonem allata fuerant, nul-
 lo argumento probarentur, Accusato-
 res comprehensos in Franciam mise-
 runt.